

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIONIS AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

DUBIA

SOLUTA AB EMO PRAESIDE COMMISSIONIS

De iudiciis (cann. 1552-1601)

1º Utrum ad normam cann. 1552-1601 institui possit actio iudicialis contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectent, ex gr. provisionem beneficiorum, officiorum, etc., aut recusationem seu denegationem collationis beneficii, officii, etc.

Et quatenus negative,

2º Utrum ob eiusmodi decreta, actus, dispositiones, actio iudicialis institui possit saltem ratione *refectionis damnorum*; et proinde Ordinarius conveniri possit, ad normam can. 1557, § 2 et 1559, § 2, penes Tribunal Sacrae Romanae Rotae.

Resp.: *Negative ad utrumque et ad mentem. Mens est: exclusive competere Sacris Congregationibus cognitionem tum huiusmodi decretorum, actuum, dispositionum, tum damnorum, quae quis praetendat ex iis sibi illata esse.*

22 maii 1923.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

A. Sincero, *Secretarius.*